



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Cap. XXI. De ardentibus desideriis Deum palàm in cælesti gloria videndi, quæ illius amor in cordibus suo igne succensis excitare consuevit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)

*discolis conversari voluerit, fiet procul dubio eorum
similis. (De Disc. & Perf. Conv. Mon. c. 22.)*

CAPUT XXI.

De ardentibus desideriis DE-
UM palàm in cælesti gloria vi-
dendi, quæ illius amor in cordi-
bus suo igne succensis excitare con-
suevit.

EXercitia amoris hæcenus recensita, nempe jugiter cogitare de DEO, eúmque quasi præsentem ubique intueri, ac in quovis cum hominibus congressu de eo loqui, oblectare quidem aliquantulum, sed non explere penitus amantem animam possunt: & juxta D. Augustinum, (*In Ps. 118. Conc. 19.*) *Solatia miserorum* veriùs sunt, quàm *gaudia Beatorum*. Per ea siquidem minùs utique intolerabilem, at non etiam optabilem experimur præsentis vitæ, ac temporis statum: nec exules esse definimus, sed aliquod solummodo habemus ærumnosi nostri exilii levamen. Quapropter necesse est, ut, qui DEUM intimè amat, ulterius vota sua porrigat ad suspirandam illius
in

in se ipso visionem, supremam videlicet desideriorum suorum, & amoris metam: qui sicut eò appulsus omnem suorum motuum varietatem in unicum quietissimi, & perfectissimi gaudii actum componet; sic, quamdiu indè abest, fieri non potest, quin flammæ instar humi detentæ assiduis, & incitatissimis nisibus ad prædulcem, beatamque illam spheram anhelet. *Amor*, scribit Doctor Angelicus, *tendit in perfectionem unionis: scilicet ut unio, quæ jam inchoata est in affectu, compleatur in actu.* Unde proprium est amicorum mutua præsentia gaudere. (L. 1. c. Gent. c. 91.) Imò ipsamet contemplatio ænigmatica unicum cæteroque nostræ peregrinationis mortalis lenimentum abest à moderandis DEI coram intuendi desiderijs, ut ea acrius stimulet, vehementiusque inflammet. Augens quippe in animo DEI cognitionem, luculentius ei ostendit, quanto bono careat, cogitque de infelicitate sua queri, & mortem quasi unicum ejusdem remedium exposcere. Adeò ut scripsit de S. Honorato vitâ functo Hilarius, (*In Præf. vit.*) *Compugnent mœroribus gaudia. Talis reminisci dulce est, tali carere supplicium.* Denique ait hic D. Gregorius, (L. 18. Mor. c. 24.) *Nimis verum se prodit illud Salomonis oraculum,*

lum, (*Eccl. c. I.*) *Qui addit scientiam, addit & laborem*: adeoque infelix nostra est procul à DEO in terris viventium conditio, ut ipsamet beatissimæ illius visionis prælibatio, quàm una ex parte præsentis nostri statûs acerbitatem lenit, tanto optatiorem ex altera ejusdem terminum, & magis molestanti prorogationem reddat. *Quantò in hac vita fruimur per speculum, vel in ænigmate, tantò peregrinationem nostram & tolerabiliùs sustinemus, & ardentius finire cupimus.* (*Aug. L. 1. de Doctr. Chr. c. 30.*)

2. Atque hinc erat, quòd Apostolus querebatur, suam à compedibus corporis solutionem differri; *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo: Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Ad Philip. 1. ad Rom. 7.*) Hinc, quòd D. Teresia mortis dilationem continuæ instar mortis sibi esse affirmârit, scribens: (*Epist. 18.*) *Morior, quia non morior.* Hinc, quòd B. Catharina Senensis mortem blandis, & amantibus titulis advocârit: ô chara, inquiens, mors! ô pulchra! ô suavis: nihilque in ea vitii agnoverit, nisi quòd citiùs adesset se horrentibus, quàm optantibus. (*In vit. c. 7.*) Hinc, quòd Ignatius Loyola de futuro vitæ suæ exitu cogitans, dulces in lacrymas totus colliquecebat, mor-

bo aliquo illius quasi jam propioris spem faciente præ gaudii exuperantia à sensibus abalienatus fuerit. (*Mass. L. 3. c. 3. Bart. Inst. L. 4. n. 30.*) Hinc Psalter Regius diu, noctûque gemebundus, & intoleranda siti æstuans, cælum versùs clamabat: (*Pf. 41.*) *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEUS. Sitivit anima mea ad DEUM fontem vivum. Quando veniam, & apparebo ante faciem DEI? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est DEUS tuus?* Hinc denique prodibant gemitus, lacrymæ, ardores, suspiria, anxietatésque animarum omnium, quibus divino amore æstuantibus *vivere Christus fuit, & mori lucrum.* Quas inter dignus in primis memoratu est eremi incola, horribili lepra undique erosus, sed adeò simul exultans, ut suavissimis cantibus circumfusus latè tractus compleret. Quorum indicio cùm venator quidam penitus se in sylvam insinuâisset, ubi eum in conspectu habuit; alto hinc perfusus horrore ad tetram illam spirantis cadaveris speciem, indè verò obstupescens de tam numerosa organi illius vix non penitus labefacti, & convulsi harmonia. Et qui tandem, mi homo, rogavit, modulari tam hilariter potes, inter hæc tui

COR-

corporis undique fatifcentis, & plùs media jam parte consumpti ruinas? Cui ille, imò quì potiùs mihi temperare à modulatione possim, cùm destrui, & paulatim collabi meum carcerem videam? Inter me, & DEUM nihil intercedit medii, præter luteum hunc parietem terreni, & caduci mei corporis. Hoc dissoluto, nihil jam obstabit, quo minùs illum videam, cùmque illo, mea nempe unica vita, & omnimoda beatitate conjungar. Cernens itaque invisum hunc obicem frustillatim deficere, nec quidquam superesse, nisi ut brevì penitùs corruat; felicem eventùs tam jucundi horam lætus operior, & libertati meæ jam propinquæ festivis vocibus applaudo. (*Ap. Rødy, p. I. Tr. 8. c. 21.*) Neque transmittenda silentio est fidelis Christi Sponsa Sanctia Carillia, quæ cùm DEO revelante accepisset, post anni spatium se migraturam è vita; heu, tanquam si lethali vulnere fuisset iccta, heu miseram me, exclamavit. Itâne annum adhuc mihi exilium superest ab optatissima cælestis Sponsi mei facie? Itâne solido anni spatio vivendum mihi est ab eo procul, qui unus vera vita mea est? Et quæ tandem patientia suffecerit, ut ferre possim tam tristem, longique adeò temporis moram? Delusi ha-
ete.

ctenus mea desideria, novam spem illis in dies singulos faciens obtinendi sui finis. Quid nunc agam, coacta eorum expletionem, nisi transacto prius anni curriculo desperare? Quàm caliginosi, quàm tristes, quàm omnis expertes solatii, quia consueta spe cassi orientur, ultimo duntaxat excepto, trecenti hi, & sexaginta tres dies, quos peractura dein sum, procul à DEO, hoc est procul à summo, & omni meo bono? O moram nimium quàm gravem! ô nimium quàm lacrymabilem annum! (*Nierem. de Pulchr. DEI L. 2. c. II.*)

3. Non me equidem fugit, hujuscemodi sensus profanis quibusdam hominibus visum iri supra modum exaggeratos, & quasdam potius subtiliter excogitatas mirabilium affectuum ideas, quàm veros, humanique cordis proprios affectus. Verùm enim verò, quisquis compertum rite habet, quàm infinitum bonum sit DEUS, quàmque incomparabilis beatitudo ex illius clara visione in animam profuat; tantùm aberit, ut suspicetur in iis vel umbram hyperboles, ut impares potius objecti sui merito existimaturus sit. *Da amantem, inquit Augustinus, da desiderantem, da ferventem, da in ista solitudine peregrinantem, atque sistentem, & fontem eternæ patriæ suspirantem. Da*

ta-

talem, & scit, quid dicam. Si autem frigidus loquor, nescit; quod loquor. (Tr. 26. in Joa.) Et sanè potèstne ab ullo mundanorum hominū negari, tantò tristioreni cuiuslibet boni privationem esse, quantò illud majus, aut perspicuam DEI in cælo visionem bonum esse, opibus, fama, libertate, bona valetudine, corporis vita, & cæteris quibusque mortalibus bonis incomparabiliter majus? Neutrum certè inficiari ipsis licet: & consequenter fateantur, necesse est, beatissimæ illius visionis carentiam, mali genus esse sinè ulla comparatione ægrius ferendum, quàm quisquam hominum vel optimæ hæreditatis, vel regni, vel libertatis, vel famæ, vel terreni alterius cuiuslibet boni privationem tulerit. *Ille namque visio tantæ pulchritudinis visio est, & tanto amore dignissima, ut sinè hac quibuslibet aliis bonis abundantem, non dubitet Plotinus infelicissimum dicere. (Aug. L. 10. de Civ. c. 16.)* Quòd si ipsis eâ fraudari tantum mœroris non affert, quantum bona valetudine, libertate, aut fama carere; non id utique evenit, quia summi illius boni privatio eos minùs reddat miseros, minùsque defleri mereatur, quàm defectus, & jactura præsentium bonorum; sed quia illius tenuem, vel nullam; horum verò admodum
vi.

vividam, & splendidiorem iusto imaginem formatam in mente habent. Et confirmantur hęc dicta exemplo animarum, quę è corporis custodia emigrarunt: quę, quia per infusum sibi à DEO novum lumen, clariùs agnoscunt, quàm immensã felicitas sit DEUM in ipsamet divina sua essentia intueri; quàmque miserabilis fors ab eiusmodi visione excludi, si justę expiationis causã vel ad brevissimum tempus indè excludantur; graviùs hac pœna, quàm ipsismet lustralibus flãmibus torquentur, multòque majorem ex ea ægritudinem capiunt: quàm quisquam mortalium terreni ullius damni, vel mali causã suo in animo senserit.

4. Fac ergo, anima quępiam, dum mortali adhuc corpore includitur, alta mente concipiat, quàm infinita DEI amabilitas sit, & proinde ardentissimo illius amore tota inflammetur; quid, quęso, aliud ipsi erit, ab eo absentem in terris degere, nisi purgatorio quodam carcere inclusam teneri? Qui ludi, quę spectacula, quę lucra, & oblectamenta præsenti vitę illius mœrorem delinire fat poterunt, adeò ut inter quasvis occasiones, & causas lætitię non profiteatur cum Salomone, (Eccles. 2.) *Risum reputavi errorem, & gaudio di-*

dixi, quid frustra deciperis? Israëlitæ Babylone captivi de absente Hierosolyma nequibant finè lacrymis cogitare, (Ps. 136.) *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus, cum recordaremur tui Sion: respondentes indigenis, à quibus ad festiva carmina invitabantur: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* S. Augustinus charissimo Sodali à morte sibi erepto nihil usquam intuebatur, quod ipsum non videnti jucundum visu esset. (L. 4. Conf. c. 4. & 7.) *Expetebant eum undique oculi mei, & oderam omnia, quia non haberent eum: & ipsa lux, & quidquid non erat, quod ille erat, improbum, & odiosum erat.* Absalon, cum à patre David facultatem impetrasset redeundi in patriam, sed ità, ut nè in conspectum suum veniret, (L. 2. Reg. c. 14.) *Revertatur in domum suam, & faciem meam non videat;* iniquè adeò illud à parentis facie exilium tulit, ut ad mortem ejus loco subeundam paratum se obtulerit: *Obsecro, inquires, ut videam faciem Regis. Quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me.* Anna, junioris Tobix mater, quantos inter fletus, & angores illud tempus transegit, quo is absens domo erat? (Tob. c. 5. & 10.) *Nulla modo consolari poterat, sed fiebat irremediabilibus lacrymis: detestans illa decem talen-*

lenta, quorum exigendorum causâ amandatus peregre fuerat: Nunquam fuisset pecunia, pro qua misisti eum, sufficebat nobis paupertas nostra, ut divitias computaremus, quòd videbamus filium nostrum. Heu, heu me, fili mi! ut quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum? Omnia simul in te uno habentes te non debuimus dimittere à nobis. Et senior Tobias vir ejus, ut ipse etiam oculorum visu amisso omnem se amisisse arbitrabatur vim, & facultatem gaudendi: respondens Angelo gaudere se jubenti, (Ib. c. 5.) *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Si ergo his, quos reruli, tantum tristitiæ attulit, quòd lucis, patriæ, amici, parentis, aut filii visu cogebantur carere, ut ea de causa nullam consolationem admitterent, assiduis contabescerent fletibus, nulla re delectari possent, mortemque votis sibi accerserent; quantò majore luctu DEI servum, atque amicum conficiet, quòd, quamdiu in terris vivit, beatissimo DEI aspectu careat? Quid solatii ille poterit ab ulla re creata in ejusmodi statu recipere? Quidni dies, atque noctes irremediabilibus lacrymis tam chari, atque amabilis objecti absentiam deflebit? Quomodo in ullo alio bono acquiescet: nec potius, *quidquid non est, quod ille*

P p

est,

est, mœrori, fastidióque ipsi erit? Quomodo absque illo esse, *in quo uno simul habet omnia*, non existimabit absque luce, absque vita, absque se ipso esse?

5. Ah illum audire mihi videor, ex interioris suæ noctis profundo ægris vocibus clamitantem: *Quale gaudium mihi est, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Quid me solamini, amici? Quid mihi blandiris, fortuna? Quid me ad lætandum provocatis præsentis vitæ bona? Haud vestrum, haud vestrum est, mihi levamen afferre, meos fletus detergere, mederi meo vulnere; plus mihi deest, quàm suppleri à creatis rebus omnibus queat. O fortem solatii nesciam! ô morte ipsa funestiorrem vitam! ô exilium non ab hoc, vel illo terræ angulo, sed à regione vivorum, ab omni lætitia, ab unico mei cordis, meæ quietis, meæque beatitudinis centro. Et quosnam nisi mœroris sensus mea mihi suggerere cæcitas potest? Quive terrenæ felicitatis gustus allevare à luctu me poterit, cùm tot annorum spatio nunquam mihi ante oculos increati solis jubar effulserit: nunquam nè obiter quidem, adque punctum temporis viderim, quid vera, quid æterna, quid vitalis lux sit? Ah defunt jam mihi ad diuturniorem patientiam vi-

res.

res. Necessè est, ut ad eum clamem, qui unus valet meæ calamitati opem ferre. *Fili David, miserere mei.* Tangat te Domine aliquando cæci hujus miserissimi pietas. Nil opus est, ut ex me scisciteris: *Quid tibi vis faciam?* Jam melius ipso me intelligis, quæ necessitas, quæque postulatio mea sit. *Ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* Et quid tandem respondere aliud potest cæcus roganti, *Quid vis? nisi, Domine, ut videam?* Ità, ità planè: hæc mea responsio unica est, hæc votorum meorum omnium summa, hoc illud, quod assiduis gemitibus ex intimo suo recessu cor meum tibi repetit. *Unam petiti à Domino, hanc requiram:* ut jacenti tamdiu in tenebris tuam aliquando reveles optatissimam faciem: ut liceat mihi tandem contemplari in se ipsa, & qualis revera est, infinitam istam tuam pulchritudinem, cujus duntaxat intuendæ causâ factus sum, quæque una est omnne meum bonum, omne meum desiderium, omnis mea quies, omne meum gaudium. *Anima mea desideravit te in nocte. Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo. Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, vultum tuum Domine requiram. Ostende faciem tuam, & salvi erimus. Domine, ut videam, ut videam, ut videam!*

6. Quæ cum ita se habeant, quonam pacto verus credi, atque ardens amator DEI poterit, qui sciens, se procul ab eo esse, quamdiu vivit in terris, æquissimo tamen animo absentiam hanc sustinet, nec unquam præ desiderio veniendi ad illius conspectum suspirat, nec, si fortè gravior morbus id brevè futurum promittat, sibi gratulatur: quin potius pro rogari quàm diutissimè præsens exilium suum cupit, & de quocunque illius proximè desituri indicio perturbatur? Nemo certè in animum suum inducet, talem eum credere: quem admodum nemo est, qui nesciat, quàm naturalis proprietas incensi amoris sit, objecti sui præsentiam optare, de illius spe gaudere, & quamdiu illa caret, vim pati: quàmque, quisquis impensè aliquem amat, & dulcem illius convictum, & ingratham ab eo disjunctionem experiatur. Itane amare DEUM sit, nullà tangi curâ illum videndi, juxta illum commorandi, cum illo vitam ducendi: imò lætari de illius absentia, deque propiore ad eum accessu mœrere? Quænam, rogo, contraria, & in vicem pugnancia existimari possunt, si hæc non sint talia? Aut quos effectus pariet odium, si hos amor producit? Ego sanè parùm abest, quin dicam, ab ejusmodi homine minus

nus quodammodo DEUM amari, quàm vel ipsi eum dæmones ament: qui profectò divinam illius faciem intueri ardentissimè cuperent, nec in miserrimo damnationis suæ statu quidquam amariùs experiuntur, quàm ab ea esse æternùm proscriptos. At, si affirmare non audet, minùs ab ipso, quàm à perduellibus orci spiritibus amari DEUM; saltèm procul dubio affirmaverim, minùs ipsum amantem sui esse, quàm se ipsos illi ament: cùm tantò illis pacatiùs privationem summi sui boni ferat. Et verò parvùmne hominis bonum existimari potest clara DEI optimi maximi, in se ipso, suaque incomprehensibili essentia spectabilis visio? Visio, quæ in unico simplicissimo objecto contemplandum oculis exhibet, quidquid mente concipi, imò longè plus, quàm mente concipi miraculorum, perfectionum, & pulchritudinum potest? Visio, quæ animam ineffabili quadam admirationis, & jucunditatis ecstasi absorbet, ac penitus extra se rapit, adeò ut expleri nunquam sciat, sed per totam porrò æternitatem in suavissima illius continuatione insatiabiliter fixa hæreat? Visio, quæ intimam nobis divini sui objecti similitudinem imprimit, nec videri jam quodammodo homines finit, sed in æterna quæ-

dam increati solis parelia convertit? Visio; per quam *intramus in gaudium Domini*, in partem nimirum ejusdem illius infinitæ beatitudinis, qua fruitur, & beatus est ipsemet DEUS? Visio demum adeò omne pretium exuperans, ut quilibet Cælitum mallet pati, sed eâ interim frui pergens, quidquid sensibilibium cruciatuum fontes animæ apud inferos sustinent; quàm frui, sed eâ interim carens, reliquo omni exaggeratissimo cæteroqui, & terrenam quamvis sortem supergrediente accidentalis suæ beatitudinis cumulo? Qui hoc tam inæstimabile, tam immensum, tam summum bonum non suspirat; imò propiorem illius acquisitioni se esse, ægre fert, eamque differri in ulteriora usque tempora optat, quo pacto amare se ipsum dicetur? Quisnam, ô Angeli! vester de eo sensus est? Quidnam vobis, beati cæli habitatores videtur? Suine revera, quantum par est, amans existimari potest, qui minimè appetit objectum contemplari, quod tam insatiabiliter vos contemplamini, & bono frui, quo vos jucundè adeò fruimini? Neutiquam certè, nullo pacto, nihil minus. Neque DEUM, neque se ipsum debito ille amore prosequitur. Et hic defectus justus erga se amoris culpabilem magis reddit de-

defectum amoris DEI. Cùm enim vel cuiuslibet alterius emolumentum sui causâ amabilissimi illius objecti visionem deberet quærere; nec quidem omnimoda beatitudo ejus satis ipsum ad eam quærendam impellit: séque amat, ubi amor sui cum amore DEI pugnat; hic, ubi cum eo consentiret, amare se negligit.

7. O stuporem animi! qui, nisi tam vulgaris, & obvius ubique esset, censeretur incredibilis posset: nam quis unquam navigantium apparente post diutini cursûs labores portu indoluit, quòd nimis citò ad eum pervenerit? Quisnam captivorum infortunii locò habuit, solvi ab ergastuli vinculis, aut quis exulum non est gavissus, dum in patriam revocaretur? Nemo sanè unquam. Et, si fortè aliquis ejusmodi sensus præferret, admirationi omnibus foret, tanquam novum, & omnino insolens prodigiosæ fatuitatis ostentum. At nonne cælestis Hierusalem suprema est nostræ in hoc tam infido præsentis ævi pelago ærumnosissimæ navigationis meta? Nonne hæc tellus exilii est tristissimus locus, ubi procul à cælo immortalis nostrarum animarum patria, & à DEO earundem amantissimo Patre tot jam lustris versamur? Nonne luteum hoc corpus

est teterrimus carcer, qui à primo exortu in squalore, ac tenebris clausos, amataque libertatis expertes nos detinet? Quinam igitur fieri potest, ut queramur, parùm jam nos abesse ab eo portu, ut optemus hoc nobis pro rogari exilium, ut abnuamus ex hoc carcere egredi? Cur non potiùs querelarum causa est, nimis diu nos hic detineri? Cur non potiùs omnis hora, quam in terris ducimus, sæculo nobis longior videtur? Cur non potiùs mors, quæ hinc abductos illuc nos transfert, charissimus est nostrorum votorum scopus, suavissimum nostrarum calamitatũ levamen, præcipua nostri gaudii materies? *Quis non peregre constitutus* (verba sunt D. Cypriani) *properaret in patriam regredi? Quis non ad suos navigare festinans ventum prosperum cupidius optaret, ut velociter charos liceret amplecti? Patriam nostram paradisum computamus, parentes Patriarchas habere jã cœpimus. Quid non properamus, & currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? Spei nostræ, ac fidei prævaricatores sumus. Simulata, fucata, ficta videntur esse, quæ dicimus.* (De Mortal.) Illi certè iidem nos sumus, qui quotidie in oratione Dominica à cælesti nostro Patre deposcimus, ut ipsius regnum, nostra nempe è terris in cælum, & ex hac

hac mortali ad perennem vitam transmigratio quàm citissimè adveniat. Quonam igitur pacto hæc inter se conveniunt, id ab eo muneris locò petere, & idem quasi infortunium timere? Orare, ut primo quoque tempore ad cælum nos vocet, & simul cupere, ut quàm diutissimè nos in terris relinquat? *Quid ergo petimus* (pergit idem Cyprianus) *ut adveniat regnum cælorum, si captivitas terrena delectat?* *Quid precibus frequenter iteratis rogamus, ut acceleret dies regni; si majora sunt desideria servire istic diabolo, quàm regnare cum Christo?* (1b.) Næ ità ægro animo, invitòsque, & non nisi coactos ad beatissimum illud regnum proficisci, justam est DEO causam præbere, illud nobis tanquam indignis negandi. *Obnitimur, & reluctamur, & pervicacium more servorum ad Domini conspectum cum tristitia, & mœrore perducimur, exeuntes istinc vinculo necessitatis, non obsequio voluntatis. Et volumus ab eo præmiis cælestibus honorari, ad quem venimus inviti?* (Id.1b.) Quod si filii Israël, quia pro nihilo habuerant *terram desiderabilem*, exclusi ab ea sunt; cur timendum non sit, nè simili afficiatur pœnâ, qui pro nihilo habet non terram promissam, sed cælum promissum? Noverit, qui sic comparatus animo est, meriturum se istiusmodi con-

temptatione, & incuria, ut sibi ingressus in beatissimam illam sedem, si minus omnino negetur, at saltè cum acerbissimo cruciatu suo differatur; constat quippe ex revelationibus B. Brigittæ, (*Ap. Blos. Mon. Spir. c. 13.*) inter alias causas, cur animæ post egressum è corpore in piaculari carcere detineantur, unam esse, quòd, dum in terris agerent, cælestem patriam desiderare neglexerint. Docemur ab Apostolo, (*2. ad Tim. 4.*) *Coronam justitiæ* redditum à DEO iri *in illa die*, hoc est in suprema vitæ die, non omnibus, sed iis, qui diligunt, & cupidè expectant *adventum ejus*. Qui non modò eum non diligit, & cupidè præstolatur, verùm etiam exhorrescit, vellètque aut nunquam, aut quàm tardissimè adesse; timeat, nè coronam illam vel unquam, vel non nisi post severam, ac diutinam expiationem recipiat.

8. Et tamen non hìc desinit admirabilitas nostræ in morte perhorrescenda, & invito animo subeunda vecordix. Absurdissimum est procul dubio queri, quòd ad cælestem patriam maturiùs evocemur, æternùm ibi DEO fruituri. Sed multò idem absurdus, & præposterum magis apparet, si consideratur locus, à quo ad tantam illam beatitudinem tran-

si.

fire abnuimus. Nam quis tandem ille est? num aliquis paradifus terrestris? num regio *fluens lacte, & melle?* Num vita, qualem in ftatu originalis iuftitiæ duxiffemus finè ullo metu, luctuque, imò cum omnium affluentia bonorum, cum finceriffima hilaritate, cum imperturbabili pace? Enim verò, etfi tam lætus, tamque felix effet terminus, unde morientes migramus; nimis tamen fatuus, mentifque impos mereretur existimari, qui non optaret indè etiam, quàm primùm difcedere, tranfiturus ad eum alterum, tantò potiorem, quò DEUS illum vocat, nempe ad cælum, perennem Beatorum patriam, fuùmque ultimum finem. Quantò igitur ftultior dici merebitur, qui ægre ferat, & differre longiùs huiusmodi tranfitum velit: quando terminus illic evolaturo relinquendus eft tellus, rubis undique, & tribulis confita: eft vita, plures ærumnas, quàm dies numerans; ut meritò nuncupata ab Euripide fit, (*Apud Plut. de Confol.*) *Nomine uno vita, revera labor:* eft ftatus denique adeò calamitofus, & triftis, ut, fi naturales duntaxat, humanæque rationes fpectentur, poffet quilibet muneris locò habere, fe indè vix exortum abduci, & fi non ad beatorum Cælitum patriam, fed ad ipfamet in-

EX-

expiatorum infantium sedes transeundum sibi esset? Et cur tu quoque fraudis quidpiam non fruis? (*Plut. de Exil.*) Acutè olim Stratonicus in Seripho insula nonneminum incolarum dixit, cùm eum percontatus, quodnam ibi reorum genus exilio multaretur, audisset, eos ità puniri, qui mala fraude aliquid patrassent. Perinde quasi diceret, (quod multò rectius dici hominibus universis de terrestri hac eorum patria potest) adeò infortunatam, & tristem suam illam regionem esse, ut non indè expelli, sed ibi habitare pœna mereretur, atque exilium censeretur. *Quare misero data est lux, & vita his, qui in amaritudine sunt: qui expectant mortem, tanquam effodientes thesaurum, gaudentque vehementer, cùm invenerint sepulchrum.* (*Job. 3.*) Ah discamus aliquando, quàm sepositis etiam ineffabilibus futuræ vitæ gaudiis optatus sit maturè mori, quàm in terris diu vivere. Et, si non satis id nobis persuasere vel D. Ambrosius tam infelicem appellando hominum vitam, *ut comparatione ejus mors remedium putatur esse, non pœna;* (*Serm. 42.*) vel Salomon, (*Eccl. 4.*) *Laudans magis mortuos, quàm viventes, & feliciorum utroque judicans, qui necdum natus est;* vel Sapiens, qui præmaturam justii hominis mortem pro argumento divinæ erga illum

lum benevolentiae habet, (c. 4.) *Placita*, in-
quiens, *DEO erat anima illius: propterea prope-*
ravit educere illum de medio iniquitatum; perſua-
deant ſaltẽm ipſimet authores profani, qui ſu-
os hac ſuper re ſenſus deſcripſiſſe ẽ ſacrarum
Literarum monumentis videntur: ẽt Menan-
der, cujus iudicio (*Ap. Plut. de Conſol.*) *Juve-*
nis moritur, quem Dii diligunt: ẽt Plinius, qui
pronuntiat, (*L. 7. c. 50.*) *Naturam nihil bre-*
vitae praſtitiffe melius: & ẽt Silenus, quem
ferunt, interrogatum à Rege Mida, (*Plut. de*
Conſol.) *Quidnam eſſet hominibus optimum, ma-*
ximẽque optabile; tacitum diu perſtitiffe, quo-
ad repetitis coactis precibus in has tandem
voces erupit: *Aerumnofi genii, difficilisque for-*
tunae ephimerum ſemen, quid me cogitis ea dicere,
quae vobis nescire erat melius? Doloris enim effu-
gium eſt ſua nescire mala. Optimum omnino ho-
mini eſt non naſci, proximum autem huic, quam
celerrimẽ mori. Quibus addere poſſem cùm
plures alios, tum inprimis Hegeſiam, effica-
citer, diſertẽque de humanae vitae miſeriis de-
clamare ſolitum; (*Cic. L. 1. Tuſcul.*) ut multi
ex illius auditoribus mortem ultro ſibi infer-
rent, tanquam univerſale omnis morbi reme-
dium, ideoque duntaxat malorum extremum,
quia malis omnibus terminum ponit. Sed
quid

quid pluribus testimoniis opus est circa veritatem, cujus quisque sibimet potest esse luculentissimus testis: dummodo secum paulisper retractet, quot inter miseras pueritiam traduxerit: quot aliæ subsecutis ætatibus ad primas se adjunxerint: & quantò, ut summam rem colligam, *plus aloës, quàm mellis* in unoquoque suorum annorum gustaverit? Nè interim de salutis æternæ periculis loquar, quæ plurima passim occurrunt, cùmque Julio Cæsare profiteri nos cogunt, (*Plut. in vit.*) *Præstat semel mori, quàm semper timere.* Quapropter citatus mihi suprà D. Cyprianus oppositis sibi invicem duobus diversis ultimi nostri itinervis terminis urgere acriùs pergit, iniquo etiamnum animo illud capeffentes, sic interrogans: *Quis non tristitiã carere optet? Quis non ad lætitiã venire festinet? Cùm ergo Christum videre gaudere sit, nec possit esse gaudium nostrum, nisi cùm viderimus Christum; quæ cæcitas animi, quæque dementia est amare pressuras, & pœnas, & lacrymas mundi, & non festinare potiùs ad gaudium, quod nunquam possit auferri? (Vide suprà.)*

9. Et hæc dicta obiter sint eorum causã, quos minor DEI tangit, futuræque beatitudinis sensus, ut erubescant de vecordi amore, quo suum hoc complectuntur miserabile exili-

lium, neque mortem horreant, & mœsti excipiant, etiam quatenus præfenti tantum vitæ finem imponit, sed potiùs juxta veteris Scriptoris adhortationem, (*Quint. Decl. 4.*) *faciant de fine remedium, de necessitate solatium. Exeant pleni securitatis gratias agentes.* Cæterùm, qui ex toto corde amant DEUM, nullis hujusmodi considerationibus, & incitamentis opus habent ad desiderandum præfentis vitæ exitum, imò eos puderet talia attentius observare, & magni momenti ducere. Etenim licet nihil averfandi, sed meram potiùs aurei sæculi felicitatem in præfenti vita reperirent; satis nihilominus causæ ad eam supplicii locò habendam, adque illius finem assiduè implorandum ipsis foret, quod impedimentum, & mora sibi sit visionis divinæ, *scientibus, quia, dum in corpore sunt, peregrinantur à Domino.* (*2. ad Cor. 5.*) Nihil quippe extra DEUM amantes, nec aliam agnoscentes vitam, & felicitatem, nisi conjunctionem cum eo; fieri non potest, quin ab eo absentiam tristissimæ mortis genus existiment. *Si enim hæere illi vita est; exulare ab illo mors est.* (*Aug. in Ps. 145.*) Quamobrem, ceu illa, cujus suprâ meminimus, Tobix mater, cum is jam diu domo abesset, (*c. 10.*) *Quotidie exiliens, circumspiciebat,*

bat, & circuibat vias omnes, per quas spes remeandi videbatur, ut procul videret eum, si fieri posset, venientem; sic & ipsi, quamdiu in terris à Deo absunt, nihil faciunt aliud, quàm quòd illius desiderio tabescant, quàm quòd exosæ ab eo disjunctionis dies secum identidem numerent, variásque comminiscantur vias, per quas ipse fors brevì adventurus sit, ac demum mortem assiduè opperiantur, fitiant, & sola illius spe, mortalis exilii sui ærumnas leniant, dicentes: *Quando consolaberis me? Quot sunt dies servi tui?* (Ps. 118.)

10. Accedendo itaque ad praxim affectus tam iusti, adeoque convenientis cuilibet, qui rite perceperit, quàm infinita sit DEI pulchritudo, quàmque inexplicabilis ex præsentis illius visu hauriatur voluptas; exercere illum primò poterimus ad singulos horologii pulsus, exultantes eo audito cum D. Terefia, (*In Rel. vit. c. 36.*) dicentésque intrà nos: O lepidum nuntium! grates DEO sint. Jam unâ horâ exilium meum brevius, viciniórque ego sum meo ultimo fini. Secundus exercendi illius erit modus, ubi quempiam obiisse audierimus, præsertim juvenem in flore ætatis, ac spei, vel principem eminentis fortunæ, aut hominem terrenis aliis ornamentis conspic-

spicuum ; cavere , nè cum ullo mœroris sensu de illius obitu seu intrà nos cogitemus , seu cum aliis loquamur , nève illum miseratione dignum , sed potiùs invidiâ , & gratulatione arbitremur : perpendentes videlicet , quàm nullius pretii sit , quidquid caducæ sortis moriendo amisit præ felicitate immortalis vitæ , ad quam emigravit : quemadmodum etiam cavere , nè , dum æra mortuali sono pulsari audimus , vel funerum apparatus , sandapilas , cadavera , & sepulchra intuemur ; funestum , & lugubre aliquid nos audire , & intueri existimemus : sed instar B. Catharinæ Senensis (*In vit. c. 7.*) ejusmodi sonis , & spectaculis delectemur , in suprema aliorum sorte nostræ propediem secuturæ imaginem agnoscentes , & lætis iterantes vocibus : O quando mea itidem mors simili æris tinnitu promulgabitur ? Quando meus quoque spiritus ad DEUM evolans hos artus ità frigidos , atque exangues relinquet ? Tertiò exercere eundem licebit , exprimendo identidem variis modis , ad exemplum Prophetæ Regii , intimos nostri cordis affectus circa infelicitatem terrenæ hujus peregrinationis à DEO : (*Pf. 119. 41. 141. 26. 121. 16.*) ità ut jam queramur , nimis diu illam produci : *Heu mihi ! quia incolat*

Q q

tue

*ius meus prolongatus est. Fuerunt mihi lacryme
 mee panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quoti-
 die, ubi est DEUS tuus? Jam suspiremus præ
 impatienti aviditate, quàm primùm coram
 eo comparendi: quando veniam, & apparebo
 ante faciem DEI? Jam ei supplicemus, ut à mi-
 serabili hoc carcere tandem nos eruat in li-
 bertatem gloriæ filiorum DEI; Educ de custo-
 dia animam meam ad constituendum nomini tuo:
 jam dulci afficiamur invidiæ sensu erga illos,
 qui ejus præsentiam fruuntur: Beati, qui habi-
 tant in domo tua Domine! In sæcula seculorum
 laudabant te. Jam nostrorum anxietatem vo-
 torum solemur spe obtinendi aliquando beati-
 finis: Credo videre bona Domini in terra viventiu-
 um. Letatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in
 domum Domini ibimus. Satiabor, cum apparuerit
 gloria tua. Quartum, & præcipui illud mo-
 menti exercitium fuerit, præparare abso-
 lutissima, integerrimâque puritate animas no-
 stras ad celeriolem visionem DEI: adeò ut,
 si sæculi præsentis tempore extorres à facie il-
 lius sumus, hujusmodi exilium nè momento
 quidem temporis in futura vita protendatur,
 sed sinè ulla necessitate ulteriorum ab obitu
 expiationum, idem sit nostrum dissolvi à cor-
 pore, & nostrum esse cum Christo. Quam in
 rem*

rem opus est, ut noxas omnes etiam minimas, quanto possumus studio, vitemus, proque jam commissis satisfacere ad plenum nitamur: DEUM insuper S. Aldegundis ritu (*Sever. Mort. Pret.*) precantes, ut, si poenae à nobis ultro susceptae huic fini obtinendo pares non essent, alias ipse in praesenti vita addat, quot, & quantae ad omnimodam nostrorum criminum expiationem sufficiant. Nos enim, quidquid ærumnarum indies pati contigerit, gratulanter excepturos, tanquam vicem satisfactionis posthumae, quam nulla de causa æquè horremus, ac, quia visionem DEI animabus reis differt. *Quis det, ut, qui cepit, ipse me contemnat? Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat.* (*Job. 6.*)

II. Tales, inquam, sunt modi, secundum quos mortalis hujus exilii tempore exercendus nobis est DEI amor, si eo verè flagramus, & amantium more de objecti charissimi absentia dolemus. Quo pacto nostra omnis praesens vita nihil aliud erit, quàm continuum futuræ desiderium, qualem debere esse cujuslibet veri fidelis censebat D. Augustinus, cum scripsit: (*Tr. 4. in Ep. Joa.*) *Tota boni Christiani vita sanctum desiderium est: deque nobis affirmare quivis merito poterit: Hæc est genera-*

tio quærentium Dominum, quærentium faciem DEI Jacob. Hi sunt homines DEO pleni: homines, quorum vivere DEUS est: homines, quorum corda, sensusque, & affectus omnes nihil præter DEUM spirant. Sed, quoniam in nonnullorum animis formidines, & rationes haud desunt, quæ sancto huic desiderio adversantur, illudque, nisi indè amoveantur, vel frigefacere, vel extinguere etiam penitus possent; eas singillatim examinare, & refellere, in tribus proximis capitibus pergam,

CAPUT XXII.

Naturalem mortis horrorem non debere cuiquam impedimento esse, nè illam desideret, deque adventu illius gaudeat.

Rediri ab iis libet, quibus novum auditu, omnique rationi dissentaneum, & incredibile prorsus videtur, mortem posse esse desiderii potius, quàm averationis objectum. Quæ enim id pacto, inquirunt, cum, sive observentur apparatus necessariò ipsi præviis, nempe virum debilitas, sensuum hebetatio, corpori